

1570 Neque vero tunc cum ea Republica agendum erat, quæ maritimis rebus assueta, triremibus, militibus, pecunia diuturna pace collecta, paratissima esset; quæ reliquorum Regum, christianorumque Principum arma ad se allicere, ac mutuo fædere conjugere valeret, ut non tantum cum Venetis, sed cum reliquis christianæ religionis Principibus certandum sit; verendumque, ne, quæ Christianorum ingenti multitudine intra viscera Ottomanici imperii novæ res quotidie animo voluntur, metu quamvis premantur, tandem erumpant, intestinisque dissidiis, ac tumultibus non minus, quam externis armis confitentur. Quod si augendi, propagandique imperii cupidio invadit, cur potius in Hispanos, perpetuos Ottomanici nominis hostes, arma non convertimus? cur assiduis precibus, ac lacrymis opem implorantes Bæticæ populos negligimus? cur eorum, qui eadem religione, iisdem sacris utuntur, voces spernimus, quibus si mature subveniatur, nobiliore, ac potiore Hispanie parte occupata, victricia Ottomanorum vexilla in occidentem explicare liceat? His, atque aliis a Cypria expeditione avertere Mehemetes Selymum nitebatur.

*Mustapha  
abortione,  
ut bellum  
Cyprium  
suscipiat.*

Contra Mustaphas censebat, vir turbidus, atque militari fastu ferox, qui multis nominibus gratiam a Selymo inierat; tum eo præsertim, quod a Bajazete fratre in Bythyniam compulsus, ingenti cum trepidatione, ac tumultu præda victori cessurus, ejus prudentia, ac virtute, exercitus fronte in hostem conversa, a summo periculo creptus, victoria potitus, fratrem in Persidem sese recipere coegisset. Itaque Ottomanorum Regum virtutem, ac potentiam extollere; gesta evehere. Magnam orbis terrarum partem, non inanis prudenter fuso, sed militari disciplina, atque armis subegisse; neminem non tanti imperii heredem, fines, nova provinciarum regnorumque adjectione propagasse. Avi, cuius nomen gestaret, Selymus meminisset, qui cuncta regni titulis minora existimans, fratrum, nepotumque interitu, severiori imperandi lege inventa, qua bucusque Ottomanorum Imperium stetit, Syriam, Aegyptumque, Mamalucis pulsis, subegisset, ac veluti belli fulgor, quacumque pergeret, cuncta prosternens sibi parere coegisset. Suleimani patris egregiam fortitudinem inspiceret, qui Albam græcam, Rhodium, Peloponnesum, maximamque Panno-